

vasse, cepisse autem nihil; verum tamen in nomine Christi laxabant rete, & confestim referunt habebant prada. Laboraverat per totam noctem cum lociis Petrus, nec unum prandit piscem: at ubi in navicula sua Christum habet, in veiboque ejus projecit rete, copiosa statim capitur multitudo, ita ut duae naves replerentur. Qui enim Deum secum habet, omnia ad se trahit, omnia ad se convocat. Habuit Arca Domini in domo Obededon, & benedixit Dominus Obededon & omnem domum ejus, 2. Reg. 6. n. 12. Habitabat Deus in Arca, ideo ad ejus praesentiam omnes ad domum Obededon felicitates convolant. Cajet. Benedixit Obededon & domum ejus: hoc est, multiplicavit naturalibus divitiis, puta filiorum ejus, & animalium suorum prosperisque successibus.

Qui Deum habet, omnia ad se trahit.

2. Reg. 6.

Cajetan.

82. Luc. 2.

Cum Christo veniunt omnia.

Oros.

Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis, Luc. 2. n. 1. Et unde promeruit Imperator Romanus tale habere edictum, ut sub suo nutu orbis totus describeretur? Latum, amplumque Assyrius, Medus, & Graecus in toto orbe habuere imperium; nonquam tamen eis tanta gloria obtigit; nonquam tale promulgatum est edictum, ut omnes sub uno Principe scribantur. Sed quid mirum, quod haec Romano imperio contingit felicitas, quando Dei filius inter ejus concives numeratur, & scribitur: ideoque fuit conveniens, ut felicitates aspirarent, omnesque confluerent homines ubi Christus aderat. Rem eleganter meditat Paulus Oros. lib. 6. c. 22. ad fin. Romano Imperio Christus statim adscriptus, ut natus est. Haec est prima illa clarissima professio, qua Caesarem omnium Principem, Romanisque rerum dominos signavit. Quod nunquam penitus ab orbe condito in hunc modum, nec Babylonio quidem, vel Macedo concessum fuit. Nec dubium, quin omnium cogitationi pateat, quod Dominus noster Jesus Christus hanc urbem nutu suo auctam, defensamque in hunc verum apicem provexerit, cujus potissimum voluit, cum venit, esse dicendus utique civis Romanus, census professione Romani.

Luce 5. num. 6. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum.

VERSIONES.

Syriacus. Et cum hoc fecissent, concluderunt multos admodum pisces, ita ut dirumperetur rete eorum. Arias. Et facientes hoc.

EXPOSITIO.

Post auditam concionem, ac ex Dei mandato laxatis retibus, brevissimo tempore Petrus, & ejus socij ingentem piscium multitudinem capiunt. Haec sunt Dei dona, quae cumulatè, & sine mora conferuntur. Per quod innuebatur, ex reti, seu ex praedicatione Evangelica, ad quam erant mittendi; magnos fructus, magnamque mercedem esse percipientes, ut ita

83. Dona Dei brevissimo tempore dantur.

Species praemij animosiores addit.

animosiores in laboribus perferendis fuerint. Quod eleganter ponderavit D. Cyrill. Alex. apud Corderium, & post eum Titus Boitrensis. Verum tamen, ait Cyrill. in nomine Christi laxabant rete, & confestim referunt habent prada, ut per rem tam evidentem, & tanquam ex typo, imaginèque miraculi facti, certum illis, exploratè inique fieret, laborem eorum mercede non cariturum, nec infructuosum fore diligentiam, quam erant adhiberi in mystico reti Evangelico explicando, sed in eo omnes omnium Gentium greges conclusuros esse.

Cyrrill. Boitrensis.

Et rumpebatur rete eorum. Rete gravatum, ac repletum multis piscibus incipiebat rumpi; verum tamen non est ruptum. D. Bonav. ait: Attende, quod Dominus eodem miraculo, quo petiit pisces in retia congregare, petiit & retia conservare, sicut fecit. Joan. ult. 6. cum dicitur, quod cum tanti essent, non est scissum rete. Et S. Pater confugit ad spirituales sensum D. Gregorij, de quo quæst. 70. Tamen hoc permixtum est hic ad majorem miraculi evidentiam, quod perantiam vandi, quum rete tanta piscium multitudine, cum inciperet dirumpi, non est ruptum. Multa enim hic ad miraculi evidentiam exigebantur adinacula, cum homines essent incipientes; post Resurrectionem verò jam proventiores erant, ideoque ad cognitionem virtutis, ac potentiae Christi pauciora necessaria. Beda spiritualiter hoc confiderat. Rumpitur rete, ait sed non labitur piscis, quia suos Dominus inter persequendum scandala servat. Per pisces inter retia significantur fideles, qui sunt gregis dominici, quos inter raptoras, ac scandala persequendum Dominus custodit, ac servat: Nemo rapiet eos de manu mea.

84. Bonav. Joan. ult.

Incipientes vandi.

Beda.

QUESTIO XIII.

Quare hac navis sereno tempore navigat, & retia mittit in utramque partem?

Uo sub hoc titulo inquiri. Et primò: cur hæc navicula hic modo vela dat inspirantibus ventis & tamen, cum Dominus navigaret cum suis discipulis, Matth. 8. n. 24. dicitur: Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat, & discipuli ejus suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos perimus. Cur hic serenitas, illic tempestas? D. Ambros. serm. 42. Videamus, ait, quæ causa est, quod una, eademque navicula, hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit: ibi in tempestate discipulis metum mortis inducit, praesertim cum ibi etiam cum ceteris Apostolis Simon Petrus esset. Haec autem est causa periculi. Erant ibi Simon Petrus, sed erat pariter proditor Judas; quamvis illius fides fundaret naviculum, hujus tamen perfidia eam conturbabat. Tranquillitas est, ubi solus Petrus navigat; tempestas, ubi Judas adjungitur. Licet Petrus firmus esset suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Ubi Judas abest, felicitas, ac serenitas adest; at ubi ipse proditor reperitur, omnis iniquitas, ac perturbatio prodit: quamvis enim Petrus suis esset merito, nulla tamen est tanta virtus, quæ tantis non perturbetur proditoris criminibus. Secundò, Matth. 8. Erant Petrus, & Andreas in schola Christi jam magis proventi, ideoque eorum virtus fuit laboribus, ac tempestate

85. Matth. 8.

Ambros.

Incipientes vandi.

pestate probanda; at verò hic incipientes, ac proinde benignè fovendi. Vide supra cap. 3. n. 39. & hic supra num. 84.

86.

Gregor.

Secundò quæro: quare in piscatione, quæ facta est à retro post resurrectionem, mandavit Dominus retia mittere in dexteram navigij, Joan. 21. num. 6. at hac in piscatione, ubique & indistinctè, jubet Dominus, projicere retia? Ad quod respondet D. Gregor. hom. 24. in Evang. B. ait, in sancto Evangelio legimus, quia Dominus iussit, ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet, & post resurrectionem. Sed prorsus quam Redemptor noster patretur, & resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum jubet, sed utrum in dexteram, an in sinistram mitti debuisset, non jubet. Quis verò nesciat, bonos dextera, & malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio, in qua specialiter, in quam partem rete mitti debeat, non jubetur, praesentem Ecclesiam designat, quæ bonos simul, & malos colligit, nec eligit, quos trahat, quia & quos eligere possit, ignorat. Haec autem piscatio post Domini Resurrectionem facta, in solam dexteram missa est, quia ad vindicandam claritatis gloriam sola Electorum Ecclesia pertinet; quæ de sinistro opere nihil habebit. Hæc eleganter etiam docet D. Augustinus octoginta trium quaestionum q. 81. & serm. 4. de diversis. H. ym. & alij. Hæc piscatio ante Resurrectionem in dexteram, & sinistram navigij partem fertur, praesentem enim militantem designat Ecclesiam, in quam boni, & mali ingrediuntur, qui per dexteram, & laevam significantur: illa verò post Resurrectionem est triumphantem Ecclesiam denotat, in qua sunt boni, & electi per dexteram significantur, qui claritatis gloria perfruunt, de sinistro opere nihil habent.

August. Ha mon. In hac vita labor, in al terra requies.

87. Rupert.

Magna est Resurrectionis gloria, & laetitia.

88. 2. Cor. 2. Christus in Resurrectione præ gloria se ipso pulchrior.

Ico.

Rupert. verò lib. 4. in Joan. mysticè hoc etiam explicat eleganter. Et sic ait: Non utique dixit: Mitte in dexteram navigij rete; cum adhuc esses in medijs fluctibus passionis, & mortis, non dixit, inquam, Mitte in dexteram, sed tantummodo, laxate retia vestra. At nunc, scilicet post Resurrectionem, in litore stans, & undosam turbidi fluctu omnino supergressus jacituram, Mitte, inquit, non ubique, sed in dexteram. Cum Dominus inter pressuras mortis, & passionis veteretur, ablutè laxate retia jubet, quia ibi sinistra includebatur, quæ labores designat: at post devictam mortem jubet retia extendere ad dexteram, quæ Resurrectionis gloriam denotabat, in qua nihil est de sinistro ac pressura, & molestia mundi hujus, sed totum jucunditate, ac laetitia plenum, ita ut ipsemet Salvator se ipso elegantior, ac pulchrior appareat resurgens.

augmento consumpra substantia est: qualitas transiit non natura deficit. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, in quo fuerat nota reseriri: quia nihil in ea passibile, nihil remansit infirmum.

QUESTIO XIV.

Quare in hac piscatione rumpebatur rete, non verò in illa, quæ facta est post Resurrectionem?

Questio praesens est quare in hac piscatione rumpebatur rete, non verò quando post Resurrectionem petrus, alique Apostoli piscantur etiam ex mandato Domini, qui stabat in litore, & Evangelista notat Joan. 21. n. 11. Rupert. quod non sit scissum rete? Respondet Rupert. lib. 4. in Joan. post Resurrectionem. Non vult hanc, ait, Evangelista, trahere illud pra multitudine piscium; non tamen dixit, quia rumpebatur rete, aut mergebatur navicula eorum. Quid ergo hic, nisi illam piscationem hominum designare voluit, qua ad dexteram consistunt omnes electi; seclusi ad sinistram omnibus reprobis, qui tanquam pisces mali rete praesentis Ecclesiae rumpunt seditionibus; quod maxime fuerunt heretici, & schismatici. Resurrexerat enim & in litore tutissimo stabat, quippe qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Et idcirco rectè solus prafigurabat illos, quos secum susceperat, secumque ad dexteram Patris confidere vellet in caestibus, Ferè similiter D. Gregorius homil. 24. in Evang. In piscatione post Resurrectionem non rumpebatur rete, quia ille felicissimus resurrectionis status in Christo valde securus est, & alienus ab omni molestia, & ideo Dominus stabat in litore. At in hac piscatione ante Resurrectionem dicitur, quod rumpebatur rete, sed non est ruptum; quia heretici, ac schismatici, ut mali pisces, mortibus errorum suorum hoc Ecclesiasticum rete rumpere intendunt, sed frustra laborant, cum ejus soliditas firmissima sit in Christo. Et ita dicitur, & seq. quod naviculae pene submergebantur, sed non sunt submersæ, cum suam à Deo munimen habeant, atque tutamen.

89.

Heretici impugnant Ecclesiam, sed ipsa firma stat.

90.

Generatio praeterit, & generatio advenit: terra autem in aeternum stat, Ecclesiast. 1. n. 4. Generationes hæc adumbrant hereses, quæ contra Ecclesiam exortantur, & parum durat, nam una deficiente, alia pullulat, & perseverat: at verò Ecclesia Christi, terra viventium, firmissimè stat, S. Martialis epist. 1. ad Bordigal. cap. 11. Et inimicus, ait; qui nunc à cordibus vestris projectus est, venturus est, ut supereminet populo Dei grana errorum: sed firma Ecclesia Dei, & Christi, nec cadere, nec dirumpi poterit unquam.

Eccel. Hereses deficiunt, & Ecclesia in aeternum durat. S. Martialis.

91. Itat. 33.

Ait Isaïas 33. num. 20. Respice Sion civitatem solennitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem habitacionem opulentiam, tabernaculum, quod nequam transferri poterit; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur: quia ibi solummodo magnificus est Dominus Deus noster, locus fluviorum rivi altissimi, & potentes; non transibit per eum navis remigium: neque irremis magna transgredietur eum. Describit propheta Ecclesiam militantem, ut docent

Hieron. Cyll. D. Thom. Hugo. Pinto. Com.

Interlin. D. Thom. Falsa hereticorum argumenta non impugnant Ecclesiam. Hieron.

D. Hieronymus, D. Cyrill. D. Thom. Hugo, Pinto, Cornel. cuius firmitas tanta est adversus hereses, ut ejus tabernaculum nulla vi concuti, ac labefactari possit; nec ejus clavi ac paxilli vi aliqua commovebuntur; nullaque hereticorum navis, sive magna, sive parva, omnibus suorum errorum remigiis eam poterit expugnare, neque transgredi. Et dicitur, *irremis magna*, quæ, ut ait Glossa Interlinealis & D. Th. natus est trium sedilium, per quam intelligo infidelitatem, quæ tres habet species, scilicet Paganismum, Judaismum & Heresim: quia horum pestifera dogmata vi sua, & argumenta falsa Ecclesia Christi nullo modo nocere, aut præjudicare valent. D. Hier. per hanc tritrem magnam, intelligit Diabolum. Et ait: *Vide Ecclesiam Christi, & tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec movebuntur clavi ejus in sempiternum: & omnes funiculi ejus firmi erunt, ita ut Dominus habitet in eo, qui locus est omnium fluviorum, per quos nullus adversa partis poterit navigare: irremis magna, quæ interpretatur Diabolum, cum transgredi poterit; quia Dominus ipse est iudex, & Princeps, & Rex, & illo protegente, nullius metuisit insidias.*

Luc. 5. num. 7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos: & venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergentur.

VERSIONES.

Syriacus. Et innuerunt sociis suis, qui erant in alia navicula, ut venirent sibi opem laturi.
Franc. Lucas. Arias. Ut opitularentur ipsis. Et annuerunt sociis, qui erant in alio navigio ut, venientes simul caperent.

EXPOSITIO.

92. **C**UM tanta esset piscium multitudo, ut non possent extrahere retia, socios vocant. Magna Dei misericordia, quæ socios ad auxilium præparavit, ut eleganter ponderat D. Ambrosius lib. 3. de Virginib. ad finem. *Et bene accidit, ait, quia nos laboraturos Dominus sciebat, & auxilium de sociis ministravit.* Et alio Dei consilio vocant socios, ut miraculi magnitudo esset omnibus nota; & quilibet instruat, quod unusquisque sibi non sufficit sed alterius indiget ope. *Annuerunt sociis;* nutibus advocarunt. Titus Bostrensis, Theoph. D. Bonavent. docent quod ideo signis vocarunt, quia stupore, ac metu loqui non poterant. Sed cum hoc pugnat, quia Petrus, qui erat etiam stupens, ut dicitur *vers. seq.* dixit ad Jesum, *Exi à me Domine.* Deinde, quia stupor non apprehendit eos, quando rete sub aqua erat, sed quando est extractum, tantamque piscium

Ambros. Dens in laboribus sociis nobis ad levamen præstat. Bostrenf. Theoph. Bonavent.

multitudinem viderunt. Vocant ergo socios suos, quia distantia loci voces audire impediabat.

93. *Et venerunt.* Multum interest, quod tuos in necessitate habeas, qui ad tuum juvamen vocati adveniant. Hos socios moraliter interpretantur Titus Bostrensis, & Theoph. *Designat hoc mysticè, ait Bostrensis, multos fuisse, & esse, olimque futuros, quibus hic piscandi labor cum Apostolis communis esset. Inter quos primas facile tenent, qui sacrarum Evangeliorum volumina conscripserunt. Secundum hoc autem ceteri pastores, & doctores, populorumque duces, & candidi dogmatum veritatis interpretes.* Similiter D. Bonav. & alij. *Et impleverunt ambas naviculas.* Unius retis proventu ambæ implentur naviculae. Præsignabatur Petrus jam bonus pastor, & minister Ecclesie, cuius reti, non solum sua navis, sed & aliorum piscium multitudinè replentur. *Ita ut penè mergentur.* Multitudine piscium proximè erant subversioni. Quævis enim naves periclitarentur, non tamen submersæ sunt. D. August. lib. 3. *Evang. q. 2.* per hos pisces mysticè intelligit hominum carnalium multitudinem in hac Ecclesia militante, quorum pravis moribus, diruptione pacis, penè submergi videatur, sed assistente Christo semper incolumis perseverat.

Lucæ 5. num. 8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

VERSIONES.

Syriacus. Procidit ante pedes ipsius Jesu, & dixit ei: Peto à te, Domine mi, ut discedas à me, quippe qui homo peccator sum.
Euthym. Accidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me, Domine quia vir peccator sum.

EXPOSITIO.

94. **P**ETRUS, ut ait Euthym. *intellexit, quod præceptum Domini admirando modo operatum erat;* nam dum ei obtemperavit, laxando retia, tam copiosam piscium multitudinem cepit in loco in quo per totam noctem laborando, ne unum erat piscatum. Et etiam, ut vult Tolertus, considerando imminens periculum submersionis hæc dicebat, & *Procidit, seu accidit ad genua Jesu.* Cum omnes vidissent miraculum, solus tamen Petrus procumbit ad pedes Jesu ob ferventem amorem, ac charitatem in eum, obque eximiam rerum supernaturalium cognitionem. Deinde, quia cum Petrus esset dominus navis, & fortasse senior cunctis, qui aderant, ac proinde ut caput, magis obligatum se agnoscit, & pro omnibus gratias exhibet. D. Bonavent. ait: *Hæc fecit Petrus quasi, invitans alios ad faciendum similiter, suo exemplo.* Et hæc usque dicitur Simon: Ingressus

Euthym.

Tolert.

Ingens Petri amor.

Bonavent.

Prælati exemplo procedat.

Hugo.

Obedientia fidem præcedat.

95.

Beneficia, quemque esse dominum, declarant.

lus in navim Simonis, dixit ad Simonem: at verò hic addit Evangelista, Petrus: quod dicit magnam celsitudinem, ac fundamentum Ecclesie; quia hic jam humilitate sua, ac virtute modo incipiebat magno sibi imponendo nomini Petri correspondere. Et bene notat Hugo, quod non dicitur Petrus Simon, sed prius Simon, id est obediens, & postea additur Petrus, quod dicit ordinem ad fidei confessionem, & cognitionem supernaturalium, quia obedientia debet præcedere fidem, & agnitionem mirabilium. *Exi à me, quia homo peccator sum.* Fatetur Petrus se peccatorem, & ex opposito Christum Jesum vitam sanctissimum, & Deo multum acceptum; ac proinde suam vilitatem agnoscens indignum se iudicat, qui Christi consortio perfruar, & ideo ob humilitatem postulat, ut ab eo discedat, ne aliquid mali patiat. *Domine.* Uique modo præceptorem dixerat n. 5. jam verò majorem de eo opinionem concipiens Dominum vocat. Quædo eum concionantem audivit, præceptorem appellat; cum verò beneficia largientem recognoscit, Dominum dicit. Magna Petri modestia, qui quamvis suam navim, rete, ac operam adhibuisset, nil tamen laudis sibi arrogat; sed totum felicem successum, ac piscationis proventum Christo, qui jusserrat, adscribit.

QUESTIO XV.

Quare Petrus precatur Dominum à se recedere?

96. **A**Liqua in Petri factis, & verbis videtur contradictio. De verbis hoc modo agimus, postea verò de facto quæst. seq. Ait Petrus: *Exi à me, quia peccator sum.* Si te peccatorem consideras, ait D. Gregorius citatus à D. Bonavent. oportet, ut à te Dominum non expellas. Unde ait D. Augustinus ab eodem citatus, & etiam ab Hugone Cardinali, *De piscator loquitur Petrus, Deum, ac Dominum salutis secum habebat, & dicebat: Exi à me; ac si infirmus Medico curare volenti diceret: Recede à me, quia agito.* Quo ergo motivo Petrus vir prudens hæc dixerit, quæro?

97. **R**espondeo primò, & germanè. Cum Petrus optime exploratam haberet eximiam Christi Domini sanctitatem, ac virtutem, tum ex colloquio apud ripas Jordanis, *Joan. 1. num. 41.* tum ex concione modo audita, & exque miraculosa piscatione, & aliunde se cognosceret peccatorem, ac reatibus obnoxium, reputabat se indignissimum, qui tam sanctissimum in sua navicula reciperet virum, ut locumque haberet, & ideo timebat, ne ob suam indignitatem aliquid mali pareretur, eique à Deo infligeretur supplicium, ac in pelago in ipsa penè navium submersione omnino periret. Sic dixit vidua Sareptana, cum parentem Eliam hospicio reciperet, filiumque suum mortuum videret: *Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates mee, & interficeres filium meum.* 3. Reg. 17. n. 18. Ac si diceret: Iniquitates meæ inde gravantur, quia sum ausa virum tam sanctum hospicio excipere. Sic viri Gerazenorum visis miraculis Christi, *Rogabant eum, ut transiret à fratribus eorum.* Matth. 8. n. 34. Sic & Israelitæ in detersylveira in Evang. Tom. II.

Quilibet, cum viro iusto habitare timeat.

3. Reg. 17.

Matth. 8.

to dicebant ad Moysen. Exod. 20. n. 19. *Loquere in Exod. 20. nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, & moriamur.* Hanc sententiam docet Euthym. *Magna illius reverentia, ait sui que correctione repressus indignum se esse ducebat, ejus utique devotabat præsentiam, timens, ne quando periclitaretur, eo quod talis talem ausus fuisset suscipere.*

Hanc sententiam multis confirmat D. Gregor. Nazianz. orat. 39. *Quocirca, ait, se quemque prius purgare oportet, atque ita demum cum puro consuetudinem habere, ne alioqui nobis inveni, quod Israël, accidat, cultus Mosæ gloriæ non ferenti, ac propterea velamen opus habenti: aut eisdem, quo Manne, modo afficiantur, ac dicamus: Perimus, mulier, Deum vidimus.* Iudic. 13. n. 20. *cum videlicet Dei species ipsi objecta esset. Aut Petri instar Jesum à navicula submovetamus, uspotè tali adventu indigni: aut oculorum sensu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cum priusquam à persecutionibus expurgatus esset, colloquium cum eo, quem persequeretur, misisset.* Paulus cum loquitur Christo, & rapitur in cælum, oculorum lumine privatur, & ipsis apertis nihil videbat, *Act. 9. n. 8.* At Joannes cum in spiritu in cælum ascendit *Apo. 4. n. 2.* oculorum acie non spoliatur, sed ibi videt, & loquitur. Quia Paulus tunc non erat à suis persecutionibus expurgatus; at Joannes igne Spiritus sancti maxime erat ab omni inquinamento purificatus. Ex his omnibus conjice, quod si tanta puritas requiritur ad colloquium cum puro; & ad eum in navicula recipiendum, ita ut hoc maxime Petrus formidaret, quanta sanctitas, ac mundities erit necessaria, ut Christum in ore, ac intra te ipsum in sacra Eucharistia recipias. Vide supra cap. 20. q. 7.

99. **S**ecundò Divus Petrus Chrylog. serm. 174. *Petrus, ait, dominica virtutis timore in vultu, Christum, ut à se discederet, supplicabat: Disced, inquit, à me, quia homo peccator sum.* Hæc dicebat, *Timor amoris quia quidquid erat amoris, & fidei pondus avo permisceris excimeret; sic timor, nisi amore fuerit temperatus, quamvis devotam, servitum efficit contumacem.* Torus est S. Pater, ut à viris perfectis exlisset nimium timorem, quia si timor est in magno excessu, reprimat fidem, & amorem, & contumacem affectum generabit, non accedendi ad Deum, & ideo timor permiscendus est, ac amore temperandus, & timor reverentiam ministrat, amor verò confidentiam tribuat. Tertio D. Bonav. Bonavent. *Ideo hoc dicebat Petrus, quia timebat potentiam, non percipiebat clementiam: quia dicitur. Matth. 9. n. 14. Non veni vocare justos, sed peccatores.* Petrus hæc dicebat, potentiam Domini & majestatem considerans, non verò misericordiam & benignitatem, qua peccatores ad se vocabat.

100. **Q**uartò D. Chryostomus homil. 3. in Matth. *Petrus ait: Exi à me, Domine, quia homo peccator sum: & propterea factus est Ecclesia fundamentum.* Nihil enim sic est amicum Deo, quam si quis se minimis annueret; hoc est enim caput totius Philosophia, atque fastigium. Inter omnes, qui aderant in navigio, Petrus profert admirabile humilitatis signum, prosterendo se ad genua Jesu, & se peccatorem; ejus præsentia indignum, profitendo; quia super omnes Petrus caput erat constituendus; & quanto quis se humiliat, tanto magis sublimatur. Quod eleganter confirmat Chryostomus citatus. Quod cum David prodiret in bellum, non est passus,

98. Nazianz.

De Deum videas, partem.

Chr. fol.

Matth 9. Considerando Dei Majestas & clementia.

Chrylost.

Qui se humiliat, exaltatur.